

causam hæcenus videre non potui.] Scire autem velim, quomodo hæc verba sua conciliet cum iis, quæ habet paulò post, cum ait, *de vario stellarum motu neminem sensibus præditum dubitare posse.* Stellas sphericas in motu circulari certum ordinem & spacium observare concedimus. In iis autem quæ addit, dicens: *Non volitare nec natare, destitui quippe organis & loco volatui & natatui idoneis,* latere dico Elenchum oppositorum, & studiosam perversionem illorum sententiæ quos notet. Volare stellas propriè vel etiam figuratè [ad modum movendi respiciens] qui dixerit nescio. Qui verò liberè in limpido cœli, instar avium in aere, & piscium in aqua moveri dixerunt, nihil voluerunt aliud, quàm orbibus solidis non esse affixas. Unde inepta est sollicitudo de instrumentis ad volatum necessariis. Natationem autem autem quam suo modo fixis in aquis cœlestibus tribui. *Cap. 2. de Cœlo Theor. XX pag. 79.* si sine peculiaribus instrumentis impossibilem putat Watsonius, ostendat, quibus instrumentis natent poma?

§. 2. Ad soliditatem autem spherarum cœlestium quod attinet, fateor nunquam absurdum eam visam mihi esse in stellis fixis, licet certò ita sit nec ne, dubium me reddiderit S. Scriptura, potissimum. *Hiob. 38. v. 31.* In Planetis autem locum habere cur negem cum hodiernis Astronomis, duobus argumentis moveor, 1. quòd penetratio dimensionum, 2. quòd refractione loca illorum incerta reddens, secutura fit. Neutrum horum intelligere Watsonium, apparet ex eo, quòd putat satis evitari *si duri non sint, pag. 522.* quam dura enim aqua & aër, imò quid aère mollius? Et tamen baculus aquæ infixus & ultra eam in aërem eminens, penes contactum aëris & aquæ fractus videtur. Et si orbium soliditas tanta saltem est, *ut magis certa constans & determinata sit stellarum, quoad motum & refractionem conditio,* quemadmodum loquitur Watsonius circa medium *pag. 522.* quomodo evitabitur penetratio dimensionum circa orbem Veneris & Mercurii, Martis etiam juxta Tychonem, orbem Solis penetrantes. Quæ enim constantia partium orbis alicujus cœlestis siderum cum ipsis circum-euntium motum & locum ita constanter retinet, ut ne latum quidem unguem à linea motus sui recedant, eadem omnes illius partes adèò solide compinget, ut penetrationem mutuam non admittant.

Quæstio